

13, 149.

05

A

1453



JURID. LEIHINSTITUT
HERMANN BAHR
BERLIN
LINKSTRASSE 43.



I. N. 7.

FACULTATIS JURIDICÆ

p. t.

DECANUS

ERNESTUS WIL-

HELMUS VOGGE-

LIUS,


J. U. D. ET DUCALIS JUDICII

IN MARCHIONATU LUSATIÆ

INFERIORIS ASSESSOR,

LECTURIS

SALUTEM PLURIMAM DICIT!



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Anno clō 1ōc LXXXIV.





Vi Christianæ fidei *πολίτευμα*, & quid Magister ipse salutis nostræ intenderit primùm, dùm Ecclesiæ suæ structuram cœpit, attentius secum consideraverit, persuaderi vix poterit illi ejus formæ convenire hoc, quod nunc videmus regnum Pontificum Romanorum. Et quis enim inter Apostolos unquam tantam sibi vindicavit potestatem, ut putaret, Regna omnia quotquot in mundo sunt, Regesque adeò & Principes omnes ad suum arbitrium pertinere, legibus suis subjectos esse, & si refractarii fuerint non suo tantum excidere imperio, sed & omnibus in universum fortunis, ipsâ etiam salute æternâ? Longè tamen sanctiùs ista coleretur Pontificum ambitio, suasque laxiùs extendisset fimbrias, nisi obicem posuisset, & rem propè jam explicatâ magnâ cum confidentiâ sufflaminasset unicum Galliæ regnum. Sanè agnoverunt ipsi aliquando Episcopi Romani, magnitudinem imperii secularis, quo potitur sedes, ut dicitur Apostolica, à Regum Francorum munificentia profectam primùm fuisse, nec minores in ipsum collatas fuisse donationes, quàm ab CONSTANTINO MAGNO. Nec ferre ergò moderatiore animo poterunt Francorum Reges, quando se ab illis, in quos beneficia cumulassent, circumveniri atque opprimi animadvertabant. PHILIPPI PULCHRI & BONIFACII VIII. quæ fuerint contentiones, pleni sunt historiarum libri, qui ipse PHILIPPUS in genere de Juris Canonici capitibus statuit, non ideò recepta ea esse, quod in diversis locis & studiis Regni sui per Scholasticos legi sinantur, sed ideò legi ut eruditio inde aliqua & varia doctrina comparetur. Apud plerosque verò Regni Pontificii nationes Jus istud Canonicum veluti terriculamen-
tum

tum aliquod est, cui repugnare aut reniti nullâ omninò
ratione liceat, quodque propterea B. LUTHERO cum
flecti non posset, in primo congressu objecit Cardinalis
Cajetanus. At enim subducto nunc velo manifesta red-
dita sunt Sophismata illa Politica, quibus Reges & Princi-
pes improbisimè fraudare non erubuit Romanus Præsul.
Et huic rei non olim tantum, sed etiamnum indefinen-
ter invigilant Galliæ Purpurati, ne quid contra Leges suas
statuatur ex monte Tarpejo, præsertim cum tanta in re-
bus Ecclesiasticis Regi suo competat potestas, quantam
omninò nollent Curia Romanæ adultores. Jus Rega-
liæ, quod vocant, tanti momenti est, tamque exsuperan-
tis dignitatis, ut cum Juris Canonici principiis concilia-
ri nullo modo possit. Sunt enim nonnullæ in Galliâ
Cathedrales seu Episcopales Ecclesiæ, quibus Rectore de-
stitutis, si quæ beneficia interim vacaverint, dum aliquis
in defuncti Pontificis locum suffectus fuerit, Rex ipse ju-
re suo, certo tamen modo ea distribuit ac confert, ita ut
quæ beneficia Pontifex ipse vivus ac superstes conferret,
eorum collatio interim ad Principem spectet. Eaque pote-
stas tantæ virtutis & efficaciam est, ut Pontificias quasvis su-
peret Ecclesiastici beneficii collationes, tametsi à sede
Apostolica ante exercitium Regaliæ aut jus ad apertum re-
servati. Idque jus cum singulare planè sit, & solis Galliæ
Regibus competat, quamquam sint, qui ex Angliâ pri-
mùm profectum esse statuunt, disquiri cœpit, utrum satis
justum id sit, & legibus Ecclesiasticis conforme. Quia enim
collatio beneficiorum res Sacra spiritualisq; esse dicitur,
ideoque à laicis profanisq; hominibus aliena, sunt qui hanc
consuetudinem ex errore magis, quam ratione profectum
esse contendunt. Sed cum eam sibi materiam selegerit Cla-
rissimus Juvenis DN. CASPAR HENRICUS Horn/ut pu-
blicæ Orationis à se conscriptæ esset argumentum, quæ apud
nos proponere consueverunt Jurisprudentiæ Candi-
dati, nolo istas ejus involare partes, sed benevolum Lecto-

rem remitto ad *Franciscum Duarenum, Renatum Choppi-*
num, Annæum Robertum, Johannem Paponium, Antonium
Mornacium, Antonium Bengenum, & Franciscum Pinssoni-
um, aliosque qui latius de jure isto agunt. Accedo ad id,
cujus gratiâ Programma hoc scribi oportuit, nempe ut
constet aliquo modo de vitâ & honestate Candidati hujus,
quem nunc in publicum sistimus, & ut Exemplum inde ca-
pian alii, quibus ad eosdem honoris gradus ascendere a-
nimus est & cupido. Natus est ille Freibergæ oppido no-
bili & amœno in Suditorum montium pede, quâ parte
Misniam spectat, sito, A.C. MDCLVII. Parentibus
optimis & integerrimis **GODOFREDO Horn / Se-**
natoriæ dignitatis Viro, & CATHARINA ELISA-
BETHA, NICOLAI PERZSCHNERI Consilia-
rii in Aulâ Electorali celeberrimi filiâ, qui ambo quoad
licuit, per domesticam primùm informationem & Præce-
ptores privatim docentes filii hujus sui ingenium ad bonas
literas formarunt. Postquam verò paterna Oeconomia per
ipsius obitum præproperè admodum & in tenerâ Candida-
ti Nostri ætate defecisset, haud paulò difficilior Matri visa
fuit ejus cura, sed quam lubentem egregiè exceperunt &
novo indies subsidio sustentarunt Propinqui. Ea verò mox
vires accepit, & insigni præsidio erecta fuit, cum in thala-
mum venisset **DN. MARTINUS ALBERTI**, Consul hodie
Freibergensis Candidati Nostri Vitricus, imò Pater alius,
quippe qui huic quoque nomini Pietate successit. Hanc ipsâ ut
comprobaret magis, deliberavit secum, utrum præstaret,
privatâ institutione Privignum hunc suum ad literarum
studia advesferi, an verò cultior & utilior esset, quæ in pu-
blicis Scholis acquiritur eruditio ac disciplina. Noverat,
penes umbraticos illos Doctores genus scribendi non gra-
ve ac nervosum esse, sed vanum & inane, nullum in verbis
judicium, nullum in Oratione acumen reperiri; E contra-
rio Magistratum Patrium Scholæ suæ præficere solere viros
doctos, & qui bonas literas bene didicerunt ip si easve artes,
qui-

quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, ex optimis Autoribus proponere consueverunt, sibi que laudi ducunt, si meliores & doctiores ex ore suo fiant discentes. Prævalente igitur in Consiliis studiorum Publicorum ratione & modo, in scholam ductus fuit HORNIUS noster, & Autoribus studiorum egregiis B. Dn. M. MICHAELE SCHIRMERO & Dn. M. ANDREA BEYERO, tantos per quinquennium fecit Processus, ut nihil vulgare, nec segne, languidumve Reipublicæ promitteret, nec nisi ingentia ex se emolumenta Patriæ minaretur. Dum ita in Tyrociniis excellenter se gerere studeret, non ipse tantum magis entendum sibi putavit, sed & Parentes idoneum eum iudicaverunt, qui ad Academias mitteretur. Hinc igitur confectis domi spatiis A. MDC LXXV. Lipsiam adiit, atque illic in Philosophicis disciplinis sub manu ductione Virorum Clarissimorum Dn. VALENTINI ALBERTI, Dn. L. OTTONIS MENKENII, & Dn. L. ADAMI RECHENBERGERI, in Jurisprudentiæ verò doctrinis, præeuntibus Dn. D. GEISLERO, & DN. D. SCHILTERO, utrisque nunc immortalitatis premium adeptis, tum & DN. D. ITTIGIO, ea posuit fundamenta, quibus superstrui deinde opus omne, prout nunc existit, & quod adhuc expectatur, quam dexterrimè ac convenientissimè posset. Est enim verò Lipsia Urbs delegata admodum & elegantia atque cultu florentissima, quæ proinde animum adolescentis nondum consilio & ratione firmatum pellicere facile potest iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi ac deliniri solet; Ea que propter sæpè in sermonem hominum atque in gravem vituperationem venit, præter tamen meritum & sine culpâ sua, cum Musarum pariter atque Gratiarum delitium singulare. Agat studiosus & diligentissimè curet ea, quæ expoliendo ingenio & virtuti sanctisque moribus conveniunt, fatebitur tandem, esse urbem istam conficientissimam literarum, omnisque eruditionis penuariam quasi cellam. Fecit hoc noster,

ster, & ne blanditiis atque irritamentis quæ oboriri
possent, caperetur, in ipsum RECHENBERGERI
Musæum sese abdidit, & per necessitudinem contuber-
nii in tantum profecit, ut sub ejus Præsidio de exi-
guâ, quâ mundus regi dicitur, scientiâ, publicè ex ca-
thedrâ verba funderet, seqve multa adhuc informatori
huic suo debere etiamnum lubens fateatur. Majoribus
verò mox passibus processit ad ulteriora, & iis potissi-
mum partibus, quæ in vitâ civili usui sunt, probè forma-
tus, in Jurisprudentiam deinceps, quantâ potuit diligen-
tiâ incubuit, utque eam memoriâ & scientiâ comprehen-
deret, operam dedit planè singularem. Cum hæc cogi-
taret & ageret, & jam non in elementis tantum Juris-
prudentiæ, sed ipsis etiam penitioribus doctrinis, quæ ex
Pandectarum Volumine eruuntur, aliquandiu versatus es-
set Francofurtum, quæ ad Viadrum floret, se contulit, at-
que illic Viris maximis & ex ipso nomine celeberrimis
RHETIO, STRYCKIO, SCHULZIO, BECKMANNO
se credidit, quod ab illis tum privati tum publici Juris fon-
tes optimè hauriri posse, persuasum haberet. Neque caruit
successu consilium: his enim studiorum Rectoribus cum va-
riâ doctrinâ compleri pectus persentisceret, ipse quoque
clavum tenere & aliis præcepta dare, atque se, quem se-
querentur, veluti daduchum præbere cœpit. Utque
feliciter procederet bis sub ante laudati Dn. STRYCKII præ-
sidio cathedram Juridicam adscendit, atque ex ea disputa-
tiones duas alteram ad B. BRUNNEMANNI exercitatio-
nè Justinianæam XXX. de perpetuis & temporalib. actio-
nib. &c. alterâ de Facto Judicis de Facto, masculè propugna-
vit. Nec tamē subsistere in his voluit igneum ejus ingeniū, et si
jam terminum videret suorum, quibus se immererat,
studiorum, & quâ ratione tradita à Magistris Præcepta
ad cultum vitæ usumque Fori transferri possent, ostensurum
se promitteret Affinis Dn. CHRISTIANUS FRIEDERICUS
MEURERUS, per Thuringiam Præfectus Tenstadiensis.
Et expertus jam erat ipse non carituram bono effectu,
quam

quam per integrum annum in praxi juridicâ & foro ibi posuit, operam & industriam. & posse se causas in judiciis per orando Reip. jam commode inservire, Plura adhuc sibi superesse ratus etiam in exteris gentibus esse credidit, quod imitari ad virtutem posset, pluraque adeo sibi in luce versaturo & ampliora subsidia parari oportere, & gentium populorumque ingenia, mores, consilia & monumenta noscenda esse, ut dignum se patriæ suæ Civem exhibere posset. Abiit igitur Heidelbergam primum, mox Argentinam & inde in Belgium: Ubiqve se ad summos & in arte Juris versatissimos Viros, & Lugduni præsertim ad BOECKELMANNUM se applicuit, atqve ab omnibus, quæ ad vitam ornandam apta essent, singulari industriâ collegit. Extitit interim opinio nec vana ea aut inanis, non aliâ ætate in sago & togâ magis floruisse Galliam, quàm hac tempestate nostrâ, quâ reliquis nationibus omnibus palmam dubiam reddere omni conatu anniteretur. Ut ergo quid reconditi ea haberet, & unde tantî nominis vel terror vel amor proveniret, non esset nescius, Lutetiæ Parisiorum per semestre spatium substitit, atqve illic, quæ pacis pariter atqve belli jura essent, quantumve ab invicem distarent summâ contentione atqve studio perquisivit. Aureliam deinceps, Lugdunum aliasque nobiliorum Galliarum urbes curioso oculo invisit, idque semper propositum habuit, ut peregrinatio sibi esset, quod debet, morum & vitæ formatio atqve magistra. Inde Genevam concessit & post moram aliquam ibi factam Helvetiam obivit. Tum reflexo in patriam itinere ad suos rediit plurimis atqve variis ingenii & vitæ ornamentis instructus. Et credebatur jam satis voluntati suæ atqve animo honesta omnia appetenti indulgisse, & nunc tandem aliquando fixam sibi quæsiturus sedem, cum subitò nova ad uberiores scientiam & cumulatiora virtutis præsidia comparanda daretur occasio, Heroe in togâ excellentissimo Dn. GEORGIO DIETERICO A WOLFFRAMBS-DORFF Regio hodiè in Pomeraniâ Cancellario, Ablegati
Extra-

Extraordinarii Characterem ad Conventum Francofurti in-
stitutum suscipiente, ut Regni Svecici jura custodiret. Iter
hoc & totum istud negotium cum sibi majori fructui glo-
riaeque futurum judicaret Candidatus noster, aditum si-
bi communivit ad benevolentiam Ablegati, & ab eo non tan-
tum ut in Comitatu vivere liceret, sed etiam ut a secre-
tis epistolis esset, impetravit, inque eo munere Patroni
expectationi abunde satisfecit. Quo perfunctus officio ad
patrios lares sese recepit, quod ejus amori privatas utilita-
tes & commoda, quantumvis maxima, cedere debere,
prudenter & pie semper fuerit arbitratus. Dresdam cum
venisset, bonis omnibus sine ulla cujusdam commenda-
tione talem se exhibuit, qualem describere vix potuissent
literae promiscuis laudibus refertae. Ut igitur quod inten-
dit, propositum assequatur facilius, & studiorum suorum
praemium obtineat, nomen suum in numerum Candida-
torum referri, & pro summo in utroque Jure gradu pri-
mum sibi examen ut decernatur modestè petiit, & nemi-
ne contradicente impetravit. Assevero vobis, idque jura-
mento confirmare non renuo, in omnibus & singulis ju-
ris nostri partibus ita paratum atque instructum eum ve-
nisse, ut in illis quasi in praestigiis mirificus videretur, &
ad ea, quae pensitanda alias magnis animis atque ingeniis
esse solent, sine mora promptè responderet. Testabuntur
eà de re specimina publica, quorum edendorum à nobis
accepit potestatem. Auspicabitur autem Scholas & operas
suas cras Deo volente hora IX. quâ ipsa in Auditorio Jcto-
rum Orationem de Jure Regaliae Regibus Galliae compe-
tente habebit solennem. Sequetur eodem & sequen-
tibus diebus lectio cursoria ad L. XXXI. D. de POE-
NIS. Cui solenni Panegyri ut **RECTOR MAGNIFI-**
CUS, Patres Academiae conscripti omnesque ejus Cives fre-
quenter interesse velint etiam atque etiam rogo atque con-
tendo. PP. Sub Sigillo Facult Jurid. Dom. XIII. post Fest.
Trinit. D. XXIV. Augusti A. M D C LXXXIV.

05 A 1453

ULB Halle 3
003 777 74X



510

VD17







2

I. N. 7.

FACULTATIS JURIDICÆ

p. t.

DECANUS

ERNESTUS WIL-

HELMUS VOGE-

LIUS,

D. ET DUCALIS JUDICII

MARCHIONATU LUSATIÆ

INFERIORIS ASSESSOR,

LECTURIS

SALUTEM PLURIMAM DICIT!

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO clō Iōc LXXXIV.

